DE

HYDROPE VESICULAE FELLEAE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICO-THERAPEUTICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXII. M. OCTOBRIS. A. MDCCCXXIX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

FRANCISC. JOSEPH. SCHIEFFER,
AGRIPPINENSIS.

ACCEDUNT TABULAE LITHOGRAPHICAE II.

OPPONENTIBUS:

C. G. MITSCHERLICH, MED. UTR. DR.
TH. FR. ZANDERS, MED. UTR. DR.
F. W. KRIEGER, MED. CAND.

BEROLINI.
TYPIS NORTMANNIANIS.

CAR. JOSEPH. KREY,

BORUSSORUM REGI A CONSILIIS JUDICII PROVINCIALIS AQUISGRANENSIS, EJUSDEMQUE T. T. PRAESIDI

VIRO OPTIMO DE SE MERITO

AC PATRIS INSTAR COLENDO.

NEC NON

VIRO

DILECTISSIMO CONSANGUINEO

HERM. JOS. HALL

TOLPIACENSI.

HASCE

STUDII ACADEMICI PRIMITIAS

ANIMI GRATISSIMI

EXIGUUM DOCUMENTUM.

AUCTOR

D. D. D.

Demontrer une erreur, c'est plus que decouvrir une verité, car l'on peut ignorer beaucoup, mais le peu que l'on sait, il faut du moins le bien savoir.

Anal. de fac. de lâme par Bonnet.

Hydrops sensu strictiori adauctam seri secretionem ejusque in corpore accumulationem denotat. Quamquam iste morbus praeprimis majores corporis cavitates obsidet, tamen singularia organa ei submittuntur, ita quidem, ut serum vel in ipsis, eorum cavis, vel inter tunicas, vel in tela cellulari colligatur. Rarioribus exemplis vesiculae felleae hydrops interponendus est.

Licet iste morbus antiquioribus interdum occurrisse videatur, imperfectiores tamen disquisitiones anatomicae, quibus submittebantur cadavera, impediebant, quominus vera ejus indoles cognesceretur. Scripta anatomico-pathologica complurium mentionem faciunt exemplorum, quibus icterus, hydrops universalis et vesicula fellea praegrandis existerent, at neque vesiculae hujus contenta accuratius indagarentur, neque vasa bilifera examinarentur. Proinde operae pretium me facturum esse confido, si complura hujusmodi exempla apponam. Alia autem exempla longe differre ab eo, quod equidem infra subjiciam,

quisque facili intelliget negotio; modo enim alibi calculi biliarii vesiculae felleae, modo obstructio vel dilatatio ductuum biliferorum modo hydatides exstiterunt. Rudolphi a) si scriptores, inquit, de libris decem vel duodecim bilis aquosae differunt, hydropem saccatum hepatis innuant, necesse est, quippe qui plus liquoris exhibere possit. Quanam ratione Reil, b) innuere potuerit bilem vix intelligo, de Haen c) enim, ad quem Reil provocat disertissime de vesiculae felleae hydrope exponit.

1) Morgagni d) in seni, inquit, communis. cysticus et hepaticus ductus inter hepar usque dilatati erant, adeo ut perimetrum duobus transversis digitis aequalem haberent. Orificium tamen ductus communis naturalem fere in sua caruncula angustiam servabat, ut proclive esset intelligere, subsistere ibi calculum potuisse, bilique exitum intercludere, cujus propterea tanta collecta vis fuerit, ut non modo eos omnes ductus sic distendere, sed cystim insuper potuerit ad digitorum transversorum octo longitudinem amplificare. Erant autem calculi, vel intra jecur in ductu hepatico, hujusque presertim majoribus ramis passim obvii. Sed in cysti nonnullis cum calculis

---

a) Rudolphi, Grundriss der Physiologie. 2r Bd. 2te Abth S. 157.

b) Ueber die Erkenntniss und Kur der Fieber. 3r Bd. S. 391.

c) Rat. medendi. Ed. 3. P. 4. p. 133.

d) Epist. anatom. I. 45.

erat bilis ejuscemodi, ac si admistam haberet aquam in aqua caro recens lota esset.

2) Simons e) paracentesin experturus in muliere, quae diu laboraverat hydrope, posteaque inciderat in phthisin pulmonalem, vix duas aquae flavidae mensuras obtinuit; ventris tumor parum decrevit. Tumor, imprimis sinistrum latus obsidens, ingenti formabatur sacco, qui vesiculam felleam repraesentabat et sedecim mensuras hydatidum variae magnitudinis continebat. Pars sacci illius, per diaphragmatis aperturam in pectoris cavitatem assurgens ibique cum pulmonibus maximam partem ulceratis adeo coalescens, ut pressione quadam adhibita pus in saccum descenderet, phrenicocelen finxit. Hepar non minus amplum obtulit volumen, etenim a dextro osse ilium ad quartam usque costam veram surrexit, totumque pulmonem dextrum compressit. Pondus aequavit librarum sedecim cum dimidio ejusque substantia ingentem exhibuit sinum, decem circiter hydatidum mensuras continentem.

3) Wiedemann f) hepar maniaci cujusdam, semper anorexia et digestionis difficultatibus pressi, aliquanto majus solito, vesiculam felleam vero mirifice expansam reperit omnique bile destitutam; imo per

---

e) Medical communications. Lond. 1784. Vol. I. No. V. — Blumenbachs medizin. Bibl. Bd. II. S. 338.

f) Hufelands Journ. der prakt. Heilkunde. Bd. III. S. 383.

longum tempus nihil bilis in ea adfuisse videbatur, siquidem tunicae splendente albedine insigniebantur.

4) De Haen g) vesiculam felleam hydropici, cujus totum jecur granulosum fuit, claram et pellucidam, contenta ejus gelatinosa invenit. (Quod fieri suspicatur Brugmanns per nimiam secretionem humoris viscosi cum bilis cysticae resorptione et impedito novae bilis accessu ex hepate, per ductus cystici obturationem, quam huic anomalae bilis cysticae indoli semper communem esse tradit.)

5) Cline h) duo observavit exempla, quibus vesicula fellea materiem spissam, tenacem, gelatinosam, pellucidam nec ulla bile tinctam, contineret; in altero exemplorum dictorum ductus cysticus obliteratus, in altero calculis obturatus erat.

6) Meckel i) hepar icterici permagnum, ductus biliferos omnes admodum dilatatos, vesiculam felleam vix minorem, quam bovis, multa bile refertam, omniaque vasa lymphatica velut bile infarcta, reperit. Pancreas in substantiam tophi similem mutatum, ejus ductus excretorius eadem materie obstipatus et usque ad ostium, ductus choledochi ostio finitimum, adeo erat expansum, ut ductus choledochi compressio impediret, quominus guttula bilis effunderetur.

---

g) L. c. pars IV. cap. III. § 4. Bd. II. S. 98.

h) Andree in seinen Sammlungen für prakt. Aerzte. Bd. XIV. S. 262.

i) Koreff, diss sistens theoreticam considerationem icteri, novis quibusdam causis simul superstructam. Hal. 1758. § 12.

Joh. Pet. Frank k) disertis verbis vesiculae felleae hydropem innuit: „vesiculam felleam, inquit, partim proprias inter membranas aqua, lympha, repletam, quasi oedematosam, partim cavo suo liquidis serosis, lymphaticis gravidam repererunt anatomici. — Vesiculae felleae adeo dilatatae, ut octo libras bilis in diversis saccis concentricis continuerit, exemplum exstat.“

Similia exempla apposuerunt Glischon l) Stoll m) Marcard n) Maurer o) Blasius p) Hoffmann q) Crichton r) et Mead. s)

Comparatis exemplis supra allegatis, vesiculae felleae expansionem triplici modo effici posse, videmus: 1) sero genuino 2) bile ipsa 3) hydatidibus. — Amplificaturus numerum exemplorum primi generis, historiam subjiciam morbi, qnem semestri aestivo A. 1828 in Clinico medico Bonnensi observare mihi licuit.

---

k) De cur. hom. morb. Lib. VI. pars I pag. 292.
l) Lieutaud, hist. anatom. med. Vol I. obs. 849.
m) Rat. medendi. Vol. III. pars II. pag. 148 et 151.
n) Medizin. Versuche. Pag. 76.
o) Act. natur. cur. Vol. VIII. obs. 70.
p) Observat. med. Pars II. obs. IV. pag. 38.
q) Dissert. de ictero. Jenae 1685. pag. 10.
r) Phys. medic. Journ. 1802. September. Pag. 168.
s) Monita ac praecepta medica. Sect. I. cap. 9.

Morbi historia.

Petrus Gross, annorum sexaginta quatuor, cerevisiae coctor, habitans Wisdorfii pago, a Bonna urbe haud procul dissito, parentibus sanis natus erat; pater marasmo senili, mater morbo obiit. Aetate infantili variolas sustinuit; ab anno vitae vicesimo quarto ad quadragesimum pluribus implicabatur morbis quorum singuli quibus inciderint temporibus, certius determinare non potuit 1) Scabie correptus jubente medico multum vini hausit, mixturam quandam sumsit partesque affectas unguento sulphurato illinivit. 2) cum haemorrhoidibus fluentibus 3) cum febre intermittente quartana conflixit, quae quidem febris in nosocomio Vindobonensi post mensem est depulsa. Ante quadrimestre, quum lite agitata multum esset stomachatus, die vices. sexto M. Januar A. 1828 dolores ingentes utriusque epigastrii sensit et a Policlinico Bonnensi auxilium petiit. Dolores pressione augebantur, pulsus regularis, at tardus. nec sitis, neque aestus, urina crocea, cutis color flavescens, alvus normalis, faecum color naturae consentaneus erat ceteroquin lassitudo, color scleroticae flaveolus aderant. Detractis sanguinis unciis XII icterus manifestus excolebatur; adhibito Calomelane salivatio accessit, quae, administrata natri sulph. solutione auctisque excretionibus alvinis, desiit. Rei domesticae angustiis pressus aeger destitit a curatione, die autem octavo M. Aprilis summo icteri gradu subactus

rediit ad Policlinicum; dextrum praecordiorum latus doloribns perstringebatur, faeces albidae, dejectio earum tempestiva, pulsus tardus et plenus apparebant, quocirca iterum Calomelas imperabatur. Quum morbus parum decresceret, aeger quinto die M. Maji in ipsum Clinicum est receptus.

Stát. praesens.

Tunica sclerotica flava, sapor amarus, cavum oris siccum, sitis ingens, saliva materie alba tenaci remixta, cordis pulsus celer, respiratio normalis, tussis sicca sed rara, hypochondrium doloribus levioribus, pressione augescentibus, obsessum, venter aequabiliter tumefactus, elasticus, fluctuationis expers. Flatus secedentes levamen afferunt; herniae inguinalis inveteratae causa aeger bracherio utitur; urina subfusco-rubra, clara, spuma lutea obtecta, affuso acido nitrico colorem intense viridem recipit. Interdum horror perstringit aegrotum, a vertebris inde lumbaribus ad pubis ossa porrectus; faeces modo albidae, modo subcinereae, massam exhibent exilem solidam; dexter pes oedemate tumet, tota cutis, imo pars capitis pilosa, flavet. Aeger placido fruitur somno, animo est aequo, sed infirmus, universum corpus macilentum, pulsus celer, intermittens, ita ut decimus sextus quisque ictus deficiat. In hypochondrio dextro, magis inter hoc et regionem iliacam dextram, tumor observatur elasticus, digito prementi ex toto cedens, cujus diametrus longitudinalis corporis longitudinem sequitur, magnitudo pollices sex vel septem aequat, forma oblonga, paulo ovalis est. Quum

digito cedat prementi, accuratius explorari nequit; ceteroquin admodum mobilis est, circumscriptus, non salebrosus.

Diagnosis ambigua fuit, icterus manifestus originem duxisse videbatur ab inflammatione; de tumoris indole modo hypotheses proferre licuit. De vesiculae felleae amplificatione quidem cogitabatur, at nihil certi poterat dirimi, cum tumor et locum inferiorem teneret et explorationem accuratiorem haud pateretur. Meditabamur etiam de hydatidibus, at ne haec quidem suspicio certis argumentis poterat fulciri. Deliberabatur quoque de hepatis abscessu, at mobilitas expedita, sedes et magnitudo tumoris, qui infra hepar eo usque descendebat, ut pollices quatuor vel quinque supra ejus finem jecinoris margines luculenter sentirentur, hanc opinionem repudiari jusserunt. Quum itaque vera mali natura indagari nequiret, acquiescere oportebat in eo, ut medela symptomatica administraretur, quocirca Ipecacuanhae doses refractae et unguentum tartari stibiati, lateri dextro illiniendum imperabantur.

Die XVII M. Maji. Unguentum tartari stibiati in latere dextro excitavit pustulas, cutis flavedo quidem decrevit, urina autem crassa et turbida odorem sparsit ingratum; infirmitas adaucta, faeces albae exstiterunt; elixir. acidi Halleri gtt. XX singulis horis imperatae sunt.

Die XXI M. Maji. Pulsus regularis apparuit at duriusculus; sapor amarus defecit; urina parcior, sed crassiuscula, turbida, sedimento farinaceo instruc-

ta, odorem spiravit inimicissimum, ammoniacalem; pedum oedema accessit.

Die XXVIII M. Maji. Incursarunt horrores, infirmitas cepit augmenta, laterum dolores pungentes, spiritus angustia, gravitas et oppressio regionis iliacae dextrae viguerunt; aeger ad dextrum latus decumbere non potuit. Hirudinibus sedecim lateri affecto applicatis dolores pungentes cesserunt. Per noctem horror, deinde sudor, diarrhoea, sitis ingens vexarunt. Imperatae sunt tincturae Jodinae gtt. X per diem eaque dosis quinque guttis singulis diebus adaucta.

Die III M. Junii. Dolores lancinantes lateris sinistri, lotii quantitas minuta, fluctuationis in ventre indicia exstiterunt. Vespere pediluvium ex acido muriatico et acido nitrico aa unc. III administrabatur, aegerque per horam circiter in eo detinebatur, donec nonnulla pedum loca rubere coepissent.

Dei V M. Junii. Fluctuationis signa abfuerunt; balneo iterato pedes non rubuerunt, licet aeger per tres horas ei submitteretur; post meridiem leves horrores, aestu excepti, neque minus sudores nocturni accesserunt; pedes quandoque tumuerunt, at tumor mox cessit; faeces nihil fuerunt mutatae.

Die VII M. Junii. Sensibilitas eo usque processerat ut levissima ventris et pectoris pressio titillationem, interdum dolorem moveret; fluctuatio in ventre evidentissima, urinae copia magis diminuta apparuit, quamobrem haec imperabantur:

Rec. Rad. Calam. aromat.
Baccar. Juniperi aa drachm. tres inf.
c. aq. ferv. q. s. ad Colat. unc. sex
adde
Spir. muriat. aeth. drachm. dimid.

M. D. S. singulis horis cochlear majus hauriatur.

Die XVI M. Junii. Conflixit aeger cum agrypnia et decubitu regionis sacrae, quamobrem Squilla et Tinct. Opii Simpl. gtt. VI vespere imperabantur, quibus somni sat inductum est; urina aliquanto uberior facta, sedimentum rubellum exhibuit, per noctem somnia terrifica multa, pulsus dicrotus.

Die XX M. Junii. Magna fuit macilentia, color cutis flavus ad cinereum vergit; venter admodum tumuit, verum tumor lateris dextri, qui antea, non amplius apparuit; pedes oedemata ampla obtulerunt lotium parcissimum secessit.

Die XXIV M. Junii. Diarrhoee accesserat aquosa; suspenso squillae usu, vini rubri cucullus quotidie imperabatur, cui diarrhoea mox cessit; corporis infirmitas majora cepit incrementa.

Die II M. Julii. Alvus tarda, faeces syringam aemulantes, vox tenuissima, pedum oedemata, inprimis dextri, ampliora, nec non scroti oedema, exstiterunt; aeger singulis diebus gtt. XLV Spir. muriat aeth. hausit; vox ita attenuabatur, ut vix audirentur verba.

Die VIII M. Julii. Aeger super lectum transversum procumbens, mortuus corruit.

Cadaveris incisio.

Duodeviginti post mortem horas cadaver incidebatur: venter tumefactus erat, neque minus pedes, praecipue dexter; intra ventrem tumor, ad latus umbilici dextrum vergens, elasticus, oblongus, ovalis sentiebatur. Pertusis ventris integumentis, humor flavido-serosus emanabat, quocum substantia lutea, coagulata, cellulosa, per integumentorum aperturam prodibat. Recluso ventris cavo tumor apparebat in latere dextro, cum hepate cohaerens, tactu elasticus, oblongo rotundiusculus, superne globosus, tunica serosa cinctus. Hepar inter et colon transversum tumor offerebatur solidus, nodosus, hepati adnatus. Omentum majus lividum, crassum, venae ejus amplificatae, circa inferiorem coli faciem lamellae evidenter segregatae; colon transversum prope mesenterium excrescentiis singularibus, lamellosis, nodosis instructum; ventriculus inanis, situs normalis, lien aliquanto major, superficies ejus exsudatis quibusdam, materiam fibrosam imitantibus, obsita erat. Colon cum tumore per hypochondrium sinistrum libere decurrebat; mesenterium prope duodeni transitum ad jegunum in massam nodosam degeneraverat, pancreata formatam, quippe quod totum in nodosas indurationes abierat et cum tumore finitimo hepati adglutinatum erat. Venter circiter libras sedecim humoris serosi, flavo viridiusculi continebat. Inferior diaphragmatis facies crassior facta, perinde ac peri-

tonaeum exsudata offerebat; venae portarum paries internus maculas albas tumoresque parvos, elasticos exhibebat. Duodenum, qua bilis effunditur degeneratum et crassum, utrumque corpus mammillare ductus choledochi et pancreatici amplum habebant ostium, quod ad lineae longitudinem facillime penetrare, reliquam vero partem specillo tantum tenuissimo permeare posses; utrumque satis crassescens, tres lineae quadrantes aequabat. Hepatis superficies exsudatis fibrosis obsessa, volumen ejus normali aliquanto majus, lobus dexter striis albis erat notatus, a ligamento terete ad marginem inferiorem pergentibus, qua tumor haeret. Tumorem elasticum exhibebat vesicula fellea, inferiori parti hepatis adnata. Inciso hepate, serosus humor manabat, parenchyma visceris dicti liquore bilioso impraegnatum, omnia vasa, bilem ad vesiculam devehere solita, nec non vesicula ipsa, octo pollices longa, et, qua maxime patebat, pollices tres atque dimidium, circa apicem duos pollices ac dimidium lata, referta erant latice. Humor iste vesiculae felleae limpidus erat, serosus, saporis non amari sed fatui, membrana intima adeo expansa, ut plicae non amplius cognoscerentur. Pulmo sinister totus, pleurae intime adnatus, postice sanguinis plenissimus, lobulus superior tam firmiter adglutinatus erat, ut digitis diduci non posset; lobulus superior materias nigras induratas, inferior oedema offerebat; pulmonis dextri parenchyma sanum, modo lobi conglutinati, inferne sanguine opulentissimi apparebant. Pleurae saccus uncias continebat sex humoris, simi-

lis ei in cavitate ventris reperto, pericardium unciam unam et dimidiam laticis limpidioris; cor normae consentaneum; noduli Arantii in cartilaginem mutati erant. (Vid. Tab. adnexae.)

Visum repertum nobis persuadet morbum fuisse complicatissimum, quamobrem unusquisque facile intelligit, ne versatissimum quidem medicum tali casu oblato, semper certam eruere posse diagnosin. Morbus princeps ab hepate duxit originem: striae materiam fibrosam aemulantes atque exsudationes satis certo hepatitidem praegressam denotarunt; universim inflammatio communis viscerum abdominalium antecessisse videtur, etenim in diaphragmate et peritonaeo exsudationes animadvertebantur, quarum effectus haud dubie ascites exstitit. Venam quoque portarum inflammatione laborasse, suspicari licet, quae maculas parvas et tumores elasticos circa internum ejus parietem effecerit. Neque minus omentum degeneratum, crassescens et rarefactum luculenter testatur inflammationem praegressam. Mirari autem oportet, morbi historiam destitui argumentis, quibus inflammatio adeo ampla possit concludi, illa enim praeter hepatitidem adfuisse quidquam, minime indicat. Dolores modo dextrum modo sinistrum latus tenentes, haud nimiam habentes acerbitatem, e tali inflammatione profluxisse non videntur, nisi eam fuisse putes inflammationem, quam multi medici lentam (occultam) appellant. Pancreatis et mesenterii morbus inveteratior videbatur, degeneratio enim, i. e. amplificatio et induratio nodosa ejusmodi erat, ut,

per novissimam aegrotationem tale vitium esse excultum, a probabilitate abhorreret. Dolores periodicos magis ab inflammatione chronica horum organorum deducendos arbitror; lien quoque exsudatis fibrosis obsessus, inflammatione laboraverat. — Hepatis parum amplificati morbum quo nomine impertiam, nescio, quum omnia vasa, bilem ad vesiculam deducentia ita scaterent aqua, ut inciso hepate larga ejus copia prorueret. Forsan hepatis hydropem adfuisse et vesiculae felleae hydropem excitasse dixeris, at strictiori sensu tantum vasorum biliferorum atque vesiculae felleae hydropem nuncupare licet. Haud dubie autem potest disceptari, num aqua in vesicula fellea fuerit nata, utrum per vasa, aquis scatentia ad eam perducta; longius haec exsequar in aetiologia. — Bilis in hepate accumulatio, quae exstitit, facile explicatur, dummodo mediteris, unum esse ductum bili secretae dicatum, itaque justam intercedere oportere rationem inter secretionem atque excretionem; quodsi secretio eum in modum augetur, ut omnis bilis ductum excretorium permeare nequeat, in hepate accumuletur, necesse est. Proinde quum hic quoque bilis effluxus plane esset cohibitus, facile intelligitur, quid fecerit ejus accumulationem.*)

---

*) Vergleiche die Pathologie von Fernel. Lib. VI. Cap. IV.

Diagnosis hydropis vesiculae felleae.

Dignoscitur iste hydrops tumore, subter costis brevibus dextri lateris posito, ab initiis inde circumscripto, aequabili, sensim augescente, fluctuante, elastico, digitis facile cedente, oblongo, ovali, nonnunquam dolorifico aut praeviis doloribus notabili, hepatis abscessus simili. Aeger, intercurrente vexatus anorexia, brevius longiusve per tempus dolorem subter costis brevibus lateris dextri sentit, qui haud raro ad epigastricam aut lumbarem regionem porrigitur. Postea vel subito, vel praegressa anorexia, digestionis anomaliae, obstructiones, hypochondrii dextri dolores, icterus magis minusve intensus et affectiones colicae accedunt, quarum sedes praesertim circa finem costae nonae exstat quibusque interdum vomitus, febricitatio, aliaque symptomata adjunguntur. Urina, utplurinum subfusca, quum principium biliosum contineat, acido nitrico in viridem colorem abit; verum eadem naturalis esse potest; faeces albae, subcinereae sunt. Quodsi inter haec locum hypochondrii dolorificum explores, tumorem magis minusve insignem, rotundiusculum reperire licebit, qui ultra marginem hepatis anteriorem paulo eminet, superne cum eo quasi in unum coït, varioque corporis situ plus minus evidenter sentitur. Quodsi expansio nimia atque diuturna redditur, non raro vesicula fellea cum peritonaeo concrescit et mobilitate privatur.

Abscessus hepatis diagnosis.

Tam hepatis abscessum, quam vesiculae felleae hydropem antecedunt dolores: illi autem acerbiores et manifeste inflammatorii, abscessu exorto desinunt; hi nunquam initio vehementiores, inflammatorii deinceps evadere possunt, plerumque autem communia colicae hepaticae symptomata repraesentant; praeterea aeger dolores dudum ante tumoris accessum sensit eosdemque tumore jam conflato interdum sentit; deficiunt etiam signa suppurationis communia. Hydrops vesic. fel. tardissime evolvitur, abscessus hepatis celeriter irruit; hydrops a principio circumscriptus, tactu aequabilis, ubique luculentam offert fluctuationem; abscessus nunquam, minime a principio, limites habens circumscriptos, primum in centro tantum fluctuationem prodit, ambitum vero durum exhibet atque dolorificum, qui paullatim vel mollescit et fluctuationem sistit, vel sensim evanescit. Vesiculae felleae tumor semper subter costis brevibus apparet, hepatis abscessus circa totum jecinoris ambitum efflorescere potest.

Hidatidum diagnosis.

Hydatides interdum quidem unum, plerumque autem plures tumores simultaneos, solitarios, circumscriptos, aut si cohaerent, unum tumorem inaequalem fingunt. Tarda habent principia et incrementa,

saepe etiam inflammationis chronicae criteria iis praecedunt; raro, nec nisi permagnae sint, evidentem fluctuationem portendunt. Parum difficultatum excitant ideoque, ceu vitia topica, multos per annos absque detrimento sustineri possunt. Urina et alvus, faciei color, vires, somnus etc. certe inter initia ad naturae normam respondere solent; urina nec nimis parca, nec turbida et fusca secedit, remedia diuretica similiaque supervacua, imo nocifera sunt. Ubi plures hydatides minores coïerunt in unam, difficilior plerumque est diagnosis.

Bilis in vesicula fellea accumulatae diagnosis.

Haec accumulatio, multo frequentior hydrope, distinctu est difficillima. Faeces hoc in casu normae magis conveniunt, etenim si accumulatio ingens, ductus non obturati sunt, nonnunquam in tubum intestinalem bilis aliquantum effunditur, quo tinguntur faeces. Observatum etiam esse dicunt, bilis effluentis causa tumorem non eandem semper magnitudinem referre; porro pressione in vesiculam felleam exhibita, bilem in tubum intestinalem transmitti tradunt, quod ab hydrope vesic. fel. abest. In plerisque hujusmodi exemplis calculi biliarii causam continebant, ductus biliferos obstruentes, quorum vestigia in hydrope desiderantur, quanquam hydrops ei supervenit; ubi calculi exstant, mutato eorum situ saepe mutantur symptomata.

Veteriores scriptores passim de ingente bilis copia, in hydropicis obvia, referunt, insimul vero bilem limpidam ductumque cysticum calculo obstipatum describunt. Seb. Just. Brugmans t) tale exemplum prolixius exposuit et Rudolphi u) plura observaxit, quibus humor aqua et albumine constabat atque vesicula fellea eum in modum erat expansa, ut membrana intima, amissa specie reticulari, laevis appareret, quod idem acciderat in exemplo a me observato.

Ex his patet, cum hydrope etiam vesic. fel. existere posse calculos biliarios, quod diagnosin ejus et bilis accumulationis longe difficiliorem reddit. At vero excrementorum dejectio unum alterumve probabilius efficit, etenim motus peristalticus intestinorum tardus, ergo excretiones alvi rariores colorque faecum pallidus, effusionem bilis in intestina diminutam, albido-cinerea vero aut alba excrementa (cujusmodi sunt in hydrope vesic. fel.) sublatam testantur. Distinguendum autem est, num bilis affluxus cohibitus vel minutus, cum diminutione aut suppressione secretionis bilis junctus sit, nec ne; dantur enim exempla, quibus bilis, solito more in hepate secreta, intercepto transitu per ductum choledochum, ad intestina ferri nequeat. Hisce in casibus bilis secreta

---

t) Quaest. med. argumenti. Lugd. Batav. 1796. p. 11—19.

u) l. c.

vasis lymphaticis resorbetur certeque ejus elementa ad alia organa secretoria vicaria devehuntur. Deficiente bile per suppressam secretionem, causa vel in cohibita jecinoris actione secretoria, vel in defectu partium elementarium, ad bilem parandam necessariarum cernitur: priori casu principia biliosa in sanguine latentia ad alia organa secretoria delata, secretiones vicarias sistunt; altero autem, cum bilis defectu neque secretiones vicariae, neque icteri symptomata conjunguntur.*)

Aetiologia.

Quemadmodum aliorum hydropum, ita hydropis vesiculae felleae causa princeps in inflammatione, nimia actione arteriarum capillarium inducta, generatim igitur in quibuscunque inflammationum causis collocatur. Bartels v) autem, quidam hydropes, inquit, diabetae quasi sunt inversi, siquidem interiora corporis inundantur lympha. — Facile etiam alter morbus in alterum abit et si systema lymphaticum immodicam illam humoris excretionem hypersthenia et laxitatis causa non amplius perficere potest, in corpore latex accumuletur oportet. Longe alios hydropes serosae appendices arteriarum efficiunt, quippe

v) Pathogenetische Physiologie. Pag. 253.

*) cf. Hartmanns allgem. Pathologie. Wien 1823.

quae vasis lymphaticis quasi sunt analogae, nimirum intensitate actionis propriae exorbitante: hac igitur ratione collectiones aquarum excipere possunt inflammationes, quae nihil habent, quod aquam gignat.

Adynamia quoque vasorum lymphaticorum, serum non habentium, ubi vasa secernentia plus edunt, quam resorbentia suscipere valeant, haud raro causam hydropis nostri et aliorum suppeditat.

Goldwitz w) certo constare, ait, vesiculas felleas amplificatas evidentissime testari, bilis accumulationem in iis exstitisse; idem auctor plura hujus generis exempla enumeravit. Vesiculae felleae impletae idem licet imputare, quod teste Galeno x) vesicae urinariae accidit, quippe quae, lotio diutius retento, quasi resolvatur; resoluta vesicula fellea nec bilem contentam expellere, neque irruenti resistere valet; quod idem fit, si accumulatur aqua, etenim hoc ipso modo ingens hujus laticis copia in vesiculae cavitate colligi potest. — Ad inflammationis sequelas etiam crassescentia et coarctatio canalium pertinent, quibus elucet, simili ratione oriri posse coarctationes ductuum biliferorum hepatis ductusque choledochi. Sic Marcard y), quum coartationem ductus cystici observasset, eandem suspicatus est in viro, hepatitide, quam comitabatur icterus, defuncto, sedemque, ait,

---

w) Neue Versuche über die Pathologie der Galle. Bamberg 1789. pag. 82.

x) De loc. affect. L. V. Cap. ultim.

y) l. c. pag. 83.

inflammationis haud dubie in ipso hepate exstitisse. In hydropicis bilis defectus tam crebro est observatus, ut huncce defectum pro hydropis causa habuerint. Inprimis Bianchi z) huic sententiae favebat, quum apud Diemerbröck legisset, bilem hydropicorum plerumque albidam, interdum albissimam reperiri. Ruysch a) in cadavere hydropici hominis hepar induratum, vesiculam felleam sextuplo majorem solito, lymphae aquosae insipidae plenam invenit. Hydropicus teste Lieutaud b) aqua emissa, periit, quanquam operatio initio esset salutaris; inciso cadavere hepar parum mutatum, vesicula fellea aqua limpida repleta apparuit. De Haen c), vesiculam felleam infantis hydrothorace exstincti admodum tumidam, laticis aquosi, vix amaricantis, plenam reperit. Equidem ipse, inquit, ter, multi adstantium autem repetitis vicibus humorem in vesicula contentum degustavimus, et ne minimum quidem amaritiei invenimus. Non modo limpidus et pellucidus erat latex, verum etiam tremulus, instar gelatinae, et cohaerens. — Attamen hic bilis defectus non semper hydropi est communis, sed quandoque multum fellis secedit, imo plures post mortem vesiculam bile idonea refertam deprehenderunt. — Causa hujus morbi sat fre-

z) Historia hepatica.
a) Lieutaud l. c. Vol. I. observ. 87.
b) l. c. observ. 983.
c) l. c. Vol. II. pag. 98.

quens in ductuum biliferorum obturatione cernitur, sive calculis, sive stricturis, sive rarefactione inflammationibus superstite, quo facto primum bilis accumulatio, inde vel inflammatio, vel paralysis oritur demumque secretio abnormis in locum cholopoëseos succedit. Porro inter causas referenda sunt: abusus spirituosorum, temperamentum cholericum, aestus, aër humidus calidus, injuriae externae, ut ictus vel plaga, vesiculae felleae regioni illata, refrigerium et transpiratio cutis turbata, scrofulosis, chlorosis, haemorrhoides suppressae, animi pathemata, inprimis ira et stomachatio. Tissot d) virum, ait, grandaevum, ira vehementiori affectum subitoque ictero subactum, post bimestre periisse ejusque vesiculam felleam tantam fuisse, ut diametrus volae manus amplitudinem aequaret. Idem, si ira, inquit, tantum abest, ut bilis secretionem atque diffusionem augeat, ut potius in fines extremos organorum secernentium et excernentium agat itaque bilem ad intestina deferri haud patiatur, sed in vasis ei dicatis retineat, ubi stagnatione mox spissescit, in sanguinem revertitur atque vel icterum vel graves hepatis morbos excitat. Viscera quoque vicina degenerata, v. c. tumefacta aut indurata, pressionem in ductus biliferos exerere, ergo obturationem et supra dicta ratione vesiculae felleae hydropem gignere possunt; ut pancreas am-

---

d) Abhandlung über die Nerven und ihre Krankheiten. Bd. 2.

plificatum atque induratum. Mead e), tale refert exemplum, quo, praegresso ictero diuturno ductus choledochus, qua cum cystico coit, adeo esset constrictus, ut ne minima quidem portio bilis, qua tota scatebant vesicula et jecur, intestina ingredi posset. Disertis adjicit verbis, illam constrictionem, ut visum sit, a tumore pancreatis indurato, fere scirrhoso pependisse. — Simile quid exstitit in casu a me descripto: pancreas enim degeneratum atque induratum, ductum choledochum compressit, primoque bilis effluxum haud dubie prohibuit, quod momentum ad excolendum hydropem contulit.

Prognosis.

Quanquam raro laetiora praesagire licet, sanatio tamen contingere potest. Vesicula nimis expansa rumpitur humorque in ventris cavitatem effusus mortem infert. Iterata inflammatione coalitio cum peritonaeo potest oriri, qua fit, ut extrorsum tumor patescat; vulgo autem hydrops universalis accedit, quod certe hucusque factae observationes docent, quo recuperandae valetudinis spes infringitur. Pessimum vero accidit, ut hydrops vesiculae felleae jam nimium processisse soleat, priusquam diagnosis certa possit stabiliri, i. e. antequam tumor subter hepar promineat tactuque cognoscatur.

---

e) Goldwitz, l. c. pag. 156.

Curatio.

Etiamsi tempestive hunc morbum suspicemur, nihil tamen superest, quam ut iis utamur remediis, quae statum inflammatorium vel irritatum depellant, aut caveant, v. c. detractiones sanguinis vel locales, vel exardescente inflammatione universales, nimirum venaesectiones, hirudines, cucurbitulae, circa vesiculae felleae regionem applicatae. Adjungendae sunt doses majores calomelanos, quippe quod, resorptionem adaugens, organismum alterans, degenerationes ac mutationes organorum corrigens vel impediens, plus auxilii ceteris remediis pollicetur. Sin hydrops eo usque processit, ut tumor luculenter sentiatur, parum restat, quod faciamus. Suaserunt quidem, bilem in vesicula accumulatam leniter fricando et permulcendo expellere et eventus, si ductus choledochus esset pervius, interdum respondit desideriis, quamobrem hancce encheiresin experiri convenit in hydrope vesiculae felleae; quis autem perficiat hoc, ubi ductus choledochus vel maxime est coarctatus vel obturatus? Stabilita diagnosi, hoc in casu nil superest, nisi operatio, nimirum punctio, quam quidem Petit f), Richter g), et Chelius h), commendant. Multae autem obtruduntur difficultates: vesicula

---

f) Traité des maladies chirurgicales. Tom. I. p. 239.
g) Anfangsgr. der Wundarzneikunst. Bd. V.
h) Handb. der Chirurgie. Bd. II. Abthl. I.

enim fellea adhuc suspensa protinus digito prementi, itaque acui triquetrae cedit. Fingamus autem, punctionem posse praestari: quomodo medeamur vulneri? haud dubie orietur fistula, aut si sanescat vulneris canalis, non aqua iterum accumulabitur? Minime autem de operatione est meditandum, nisi adsit vesiculae coalitio cum peritonaeo, quod si est, facilius ea licet uti. De operationis eventu observationes adhuc colligendae nos certiores reddent. Richter i), musculos et cutem usque ad peritonaeum incidi et medicamentum peritonaeo illiniri, ut excitata inflammatione obtineatur adhaesio, post aliquot dies autem peritonaeum et vesiculam acu triquetra perforari jubet. Suspicari etiam licebit, si vesicula fellea non adhaerescat peritonaeo, contenta vesiculae non semper, inprimis si cannula relinquatur, in ventris cavum effundi, quod saepius docuit punctio vesicae urinariae, supra symphysin ossium pubis instituta. Vesiculam felleam puncturus Chelio k) duce hanc ingrediatur viam: cutis super tumorem extensa incisione, pollicem unum ac dimidium longa, dein musculi minori incisione usque ad peritonaeum diducantur; digito indice manus sinistrae diligenter exploretur, num adhaereat vesicula; qua maxima exstat fluctuatio, scalpellum aut lanceola per peritonaeum et vesiculae parietem adigatur. Quodsi coalitio cum peritonaeo

i) l. c.
k) l. c.

est ambigua, acus triquetra, peritonaeo ut supra dictum est denudato, in locum maxime fluctuantem intrudatur et cannula relinquatur, donec vesicula fellea cum peritonaeo concreverit, vel cauterium applicetur peritonaeo, ut efficiatur coalitio.

Petit, 1) nonnulla tradit exempla, quibus pungeretur vesicula fellea, qualis autem fuerit eventus, parum indicatur.

Equidem ex toto fere operationem repudiaverim, quodsi enim intuemur paracentesin ventris in Ascite, multo minores difficultates habentem, punctione vesiculae felleae, quodsi meditamur, paracentesin illam in Ascite raro eventum obtulisse lactum, quodsi denique sequelas perniciosas punctionis vesiculae felleae et diagnosin ancipitem pensitamus, quemque a partium studio alienum nostram sententiam esse amplexurum, judicamus. Fingamus enim, operationem feliciter peragi, diagnosin esse sabilem, quis dirimat, num aquae accumulatio sit reditura, nec ne? id quidem in Ascite plerumque evenit, ut aqua brevi tempore non modo eandem assequatur molem, sed majorem. Quae cum ita sint, operationem oportet iterari, quo fit, ut deterior prodeat eventus, quam si operatio penitus sit omissa. Haud minus salutaris mihi videtur Galvanismi administratio, recentiori aevo contra hydropes laudata. Omnes istae methodi, ut faustissi-

1) l. c.

mum fingamus eventum, nonnisi palliativum auxilium praestant.

Propria medendi ratio, quemadmodum aliis in morbis, ea sit necesse est, ut in causam proximam, si indagari possit, agatur. Ubi igitur fabricae vitia exstant, ut partium vicinarum desorganisationes, stricturae, degenerationes ductuum biliferorum, id dispiciatur, ut tollantur; antimonialia et mercurialia his in exemplis plurimum auxilii pollicentur. Quamdiu inflammatorii aliquid viget antiphlogistica administrentur, diaeta tenuis imperetur, spirituosa vetentur, adhibitoque Calomelane ad amara confugiatur, praeterea alvus ita laxetur, ut caveatur diarrhoea. Ipecacuanhae doses refractae ex usu esse solent; jure etiam potio Riveri commendatur. Imperetur Extr. Gentianae cum natro carbon. sicco aa gr. ii, Opii puri gr. i; m. f. pil. s. ternis horis sumatur. Decocti Amyli unc. IV cum tinct. Opii gtt. XL, senis horis pro clysmate, Pemperton similibus in exemplis commendat. Durant haec proponit: Aeth. sulphur. in Ol. Terebinth. aa. singulis diebus gtt. X—XXX, quibus haustis serum bibi jubet.

Haec dum administrantur, semper est experiendum, numne, ductibus biliferis obstructis, fricando et permulcendo humor e vesicula fellea possit depelli.

Index.

Librorum, quos in conscribenda dissertatione evolvi.

Morgagni epistolae anatomicae.

Bierwirth, de hepatis structura et morbis. Lugd. Bat. 1706.

Joh. Bapt. Bianchi historia hepatica. Turin 1716. 4.

Taccconi de raris quibusdam hepatis aliorumque viscerum affectibus. Bonon 1740.

M. J. L. Petit, traité des maladies chirurgicales, et des operations qui leur conviennent. Paris 1774.

Phil. Alex. Bachers Untersuchungen über die langwierigen Krankheiten, besonders über die verschiedenen Arten der Wassersuchten. Aus dem Franz. Berlin und Stettin 1781.

Boerhavii aphorism. Tom. III. Lugd. Batav.

De Haen, ratio medendi. Viennae 1780.

Stoll, ratio medendi.

Lieutaud, Hist. anat. med.

Seb. Goldwitz, neue Versuche über die Pathologie der Galle. Bamberg 1789. 8.

Joh. Pet. Frank, de cur. hom. morbis. Lib. VI. pars I.

Walter, anatom. Museum.

Marcard, medizin. Versuche. Leipzig 1778.

Tissot, Abhandlung über die Nerven und ihre Krankheiten.

Aug. Gottl. Richter, Anfangsgründe der Wundarzneikunst. Göttingen 1801.

Theod. Maillefer, essai sur l'inflammation de la foie. Strasburg 1810.

Bonetus, Sepulchretum anatom.
Seb. Just. Brugmans quaestiones medici argumenti. Lugd. Batav. 1796. 8.
Lentin, Beiträge zur ausübenden Arzneiwissenschaft. 1r Band.
Hufelands Journal der prakt. Heilkunde. Bd. III.
Imm. Gottl. Knebel, Grundsätze zur Kenntniss der Wassersucht im Allg. Breslau 1801.
Reil, über die Erkenntniss und Kur der Fieber.
Chelius, Handbuch der Chirurgie. Heidelb. 1827.

Explicatio tabularum.

Fig. I.

a) Vesicula fellea.
b) Hepar.
c) c) Omentum destructum.
d) Destructum mesenterium.
e) Pancreas.
f) Duodenum.
g) g) Intestina tenuia.

Fig. II.

a) Vesicula fellea.
b) Duodeni incisi facies interna.
c) Ductus pancreaticus et choledochus.
d) Pancreas.
e) e) Ventriculus.
f) f) Hepar.

Vitae curriculum.

Natus ego sum **Franciscus Josephus Schieffer**, confessioni catholicae addictus, anno MDCCCVII die XX M. Septembris, Coloniae Agrippinae, patre **Joanne Francisco**, matre de gente **Stoltzen**, dilectissima, quos parentes superstites intimo animo per divinam gratiam veneror.

Primis litterarum elementis institutus sum Coloniae; anno MDCCCXVII Gymnasium, quod Linzii ad Rhenum floret, petii ubi per sex annos sum moratus. Tunc duce Cl. Doctore Ludwig, physico apud Euskirchienses, per annum unum et dimidium primis elementis artis salutaris eruditus sum. Anno MDCCCXXV ad almam Rhenanam universitatem me contuli, ibique examine scho-

astico superato, testimonio **No. II. munitus,** Rectore magnifico, illustrissimo Prof. Hasse, Decano Cl. Mayer civium academicorum numero adscriptus, per semestria sex virorum llius academiae illustrissimorum praceptis usus sum.

Per hoc tempus studia colenti mihi ex ordine philosophorum tradiderunt: logicen Cl. van Calker, psychologiam Cl. Elvenich, physicen experimentalem Cl. a Münchow, Chemiam Cl. G. Bischoff, Zoologiam et Zootomiam Cl. Goldfuss, botanicen universalem et pharmaceuticam, excursionibus junctam Cl. Cl. Nees ab Esenbeck sen. et jun. Mineralogiam Ill. Noeggerath; Cl. Naeke de Cyclope Euripidis et Andria Terentii disserentem audivi.

Ex ordine medicorum Ill. J. Müller encyclopaediam et methodologiam medicam, evolutionem et incrementum foetus, nec non Physiologiam specialem et Pathologiam ge-

neralem; Cl. Weber osteologiam, neurologiam, anatomiam generalem et comparatam, nec non doctrinam de fasciis applicandis; anatomiam specialem, nervi sympathici sensuumque organorum Cl. Mayer mihi tradiderunt, qui anatomes Cl. professores etiam in cadaveribus dissecandis duces mihi fuerunt. De materia medica Cl. Harless, de ante formulas concinnandi Cl. E. Bischoff audivi. Therapiam generalem et specialem et Semioticen specialem, nec non doctrinam de animi morbis, et Clinicum sic dictum pathologicum Cl. Nasse frequentavi. De arte obstetricia Cl. Hayn, de Chirurgia, morbis oculi, institutionibus aciurgicis et doctrina de fasciiis applicandis et de fracturis ossium et luxationibus Ill. a Walther adii. Clinicis deinde interfui et medicis et chirurgicis ophthalmiatricisque per annum unum virorum Ill. Nasse et Ill. a Walther.

Tunc in universitatem litterariam Fridericam Guilelmam ornatissimam profectus, chi-

rurgi militaris munus per annum suscepi et Cl. Kluge de arte obstetricia audivi et clinicis interfui e: medicis et chirurgicis ophthalmiatricisque atque obstetriciis virorum Illustrissimorum Bartels, de Graefe et Kluge.

Quibus omnibus viris Illustrissimis maximas quas habeo, nunc gratias ago.

Tentaminibus tam philosophico, quam medico et examine rigoroso, rite peractis, spero fore ut dissertatione et thesibus defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

Theses defendendae.

1.

Calor animalis non ex una fonte oritur.

2

Venaesectio non est remedium debilitans.

3


Medicamina contactu quoque agent.


4

Membranae serosae omnibus vasis et nervis carent.

5

Paracentesis sola, curam radicalem in Acsite non profert.


b
b
d
a
f
e
c
c
g
g
Fr. J. Schieffer.
ad natur. delin.


a
b
c
d
e
e
f
f
a
Fr. J. Schieffer.
ad natur. delin